Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2855
Quelle:
Copyright:

initio *Codicis* hujus adlato. Legitur tamen *fol.* 47. p. 2. prave *laodicensis stephanus* pro *Leodiensis*. Adscripta est Quaestio: *Quare noluit dominus alia morte mori, nisi morte crucis?* Quae tractatur eodem modo, ut ab *Isidoro de Eccl. Off.* L. I. c. 29. et ab *Alcuino de Div. Off.* c. 18. et *Comment. in Job.* c. 19.

V. *fol.* 63. *Litaniae* de omnibus Sanctis cum Precibus. Multum differunt a receptis hodie in Ecclesia. Ad Dioec. *Augustanam* pertinuisse praeter complures *Germaniae* Indigetes suadent inserta *Afrae*, *Hilariae*, *Dignae*, *Eunomiae* et *Eutropiae* Nomina, Benedictino vero Coenobio inservisse palam facit numerus II. *Benedicti* Nomini impositus.

VI. *fol.* 68. *Incipit Liber Ordinum Episcopalium.* Potius *Ritualem* dixeris: insunt enim sequentia: *Ritus ordinandi Clericos*, qui incipit: *Mensis primi quarti septimi et decimi sabbatorum die* &c. *Ordo ad benedicendam ecclesiam. Reconciliatio uiolatę ecclesię. Benedictio super candelas in purificatione S. Marię. Cineris. Super Ramos palmarum. Reconciliatio Penitentium in Cena Domini. Ordo in die cenę. Decretum quod clerus et populus firmare debet de electo episcopo. Examinatio ordinandi episcopi. Benedictio episcoporum. Ordo ad monachos benedicendos*, sed erasum *monachos* et rescriptum *canonicos*. Ita et mox in *Promissione regulari* pro *Benedicti*, ut puto, rescriptum *Augustini* et *preposito* pro *abbate*. *Ordo abbatem benedicendi. Consecrandi uirgines. Ad benedicendam Abbatissam. Ad capillos paruulorum incidendos. Ad clericum faciendum. Edictum quod dat pontifex episcopo cum benedicitur. Benedictio novę Crucis. Super capsellas et fustes. Ensis. Nouarum frugum. Malorum in festiuitate sancti Xisti. Herbarum in assumptione S. Marię. Ad omnia edenda. Agni ceterarumque carnium in pasca. Ordo baptisterii. Visitacio infirmorum. Ordo defunctorum. Benedictio ad calidum Ferrum. Iudicium Aquę frigidę.* Plurima ex his, licet aliâ serie, reperiuntur in *Ordine Romano*, alia in *Muratorii Liturgia Vet. Rom.* et *Martenio de antiq. Eccl. Ritibus*.

VII. *fol.* 161. p. 2. adscripta sunt: 1°. Differentia *Missae pro Defunctis* a consueta Missa. 2°. Praedictio fabulosa de VII. *Diebus* extremum Iudicium antegressuris. 3°. Ὀνειροκριτικον ordine alphabetico, abruptum in litera I. 4°. Decretum quod factum dicitur *Anno dominice incarnacionis millesimo XXIII. anno heinrici imperatoris XVIII. cum XII. episcopis, ut plebs christiana quatuordecim dies ante festiuitatem sancti iohannis abstineret a carne et sagimine* (adipe). Ordinantur et alia jejunia, et observanda, sed pagina valde extrita est; non tamen ita, ut non se prodant prima II. *Capitula* Synodi Provincialis in *Salegunstat*, hodie *Seligenstadt*, celebratae ab *Aribone* Archiep. *Moguntino* a. MXXII. non MXXIII. Adi T. III. *Concil. Germ.* p. 55. ubi videbis *Codicem* non tan-